Hiſpaleñ Decimarum.

Reu. Pater. Dubitabatur, an danda eſſet remiſſoria Patribus ad effectum probandi conſuetudinem immemorabilem Mendicantium in Regnis Hiſpaniarum non ſoluendi decimas, & in tertia propoſitione quæ fuit die 2. Martij difficultas reducebatur ad duo capita, Primo an talis cõſuetudo ſit prȩſeruata in litteris Leonis XI. Secundo ſuppoſito, quod eſſet præſeruata, an talis conſuetudo ſuffragetur Patribus in eorum Collegijs vti verè mendicañ, ſed vt credimus euacuata prima difficultate ex clara dd. litterarum diſpoſitione, & alijs rationibus tunc deductis non videbatur clarè euacuata ſecunda difficultas, ideo reſolutio dilata fuit: vnde ad tollendam omnem ambiguitatem, & æquiuocationem contra veram, & non fictam Collegiorum præfatorum mendicitatem à DD. exaduerſo ſcriben. deductam in hac quarta propoſitione clarè, & dilucidè ipſa Collegia ex natura propria, & non ex ſolo priuilegio eſſe mendicantia, credimus probari ex ſeqq.

Et quidem pro totius diſcurſus fundamento ponimus definitionem ipſius mendicitatis ex *gloſ. in cap. cum ex eo. verſ. mendicantes de exceſſ. Prælat. in 6. in cap. quorumdam eod. verb. mendicantes de elect. in 6. ad text. in cap. vnico. §. confirmatas de relig. domib. eod.* ab ipſis exaduerſo ſcriben. conceſſa, & adducta: ſententia, aut gloſæ, & textus in prædictis locis eſt, quod mendicantes illi ſint, quibus victum tribuit incerta mendicitas, & qui redditus, aut poſſeſſiones ex regula, vel Conſtitutionibus haberi non poſſunt.

Hæc definitio ſine difficultate ſocietati conuenit, nec ab aduerſarijs in controuerſiam deducitur, vnde in Conſtitutionibus à Sede Apoſtolica confirmatis par. 6. cap. 2. num. 2. hæc habentur. In domibus, vel Eccleſijs, quæ à ſocietate ad auxilium animarum admittentur redditus nulli, ne Sacriſtiæ quidem, aut fabricæ applicati haberi poſſint, ſed neque vlla alia ratione, itaut penes ſocietatẽ eorũ ſit vlla diſpenſatio, ſed in ſolo Deo, cui per ipſius gratiam ea inſeruit fiducia conſtituatur ſine redditibus vllis ipſum nobis proſpecturum de rebus omnibus conueniẽtibus ad ipſius maiorem laudem & gloriam, & num. 10. parati ſint ad mendican. oſtiatim, quando vel obedientia, vel neceſſitas id exiget, & paupertas iſta eſt adeo de eſſentia ſocietatis, vt admiſſi ad profeſſionem promittant ſe nunquam facturos, vt Conſtitutiones quoad paupertatem relaxentur eod. cap. num. 1. & pluribus alijs in locis ſimilia ſtatuuntur.

Vnde iure merito Pius Quintus in Constitutione super hac materia mendicitatis ædita ipsi societati diffinitionem præfatam conuenire declarat, cum ait ipsa societas mendicans existit, quippeque ex eius Instituto, & Constitutionibus Apostolica auctoritate confirmatis bona stabilia possidere nequit, sed incertis eleemosynis fideliumque largitionibus, & subuentionibus viuit.

Sed dubium ab aduersarijs motum est de Collegijs, quod quidem dubium licet ante Pium Quintum olim fuerit exagitatum, & ab ipso Pio sublatum, ac declaratum etiam ipsa Collegia mendicantia esse: Nihilominus DD. exaduerso argumenta antiqua exuscitantes, & diuersas æquiuocationes pro interpretatione præfatæ Pianæ Constitutionis adducētes negociū decisū adhuc sub dubio reuocare conātur.

Tria autem argumenta præcipua ad destruendam Collegiorum mendicitatem proponunt. Primo Collegia non sunt mendicantia, quia ex eorum fundatione bona habent stabilia, nec mendicare coguntur, imò sine bonis stabilibus Collegia fundari non possunt, hoc autem de directo est contra definitionem mendicitatis allatam, ergo non sunt mendicantia: quod habeant bona stabilia patet ex experientia quod sine bonis stabilibus fundari non possit patet ex eorum Instituto, & Constitutionibus Apostolicis, & fatentur Suarez, & alij authores &c.

Secundo Collegia non sunt mendicantia, quia cum societas sit admodum corporis heterogenei habens diuersa membra ad diuersas functiones ex Suarez &c. apparet quod Collegia sūt diuersæ naturæ, & omnino contradistincta à domibus professis, in quibus viget quidem paupertas, & mendicitas, & quibus mendicitatis definitio conuenit, secus autem in ipsis Collegijs in quibus nec viget paupertas, nec mendicare coguntur, quippe quæ bona habent ergo non sunt mendicantia licet domus professæ mendicantes existant.

Tertio mendicitatem habent Collegia non ex natura rei, sed ex priuilegio, licet enim habeant bona, tamen Pius V. voluit ipsa habere priuilegia Mendicantium, vt in citata Constitutione, in qua, in declaratione mendicitatis non nominantur Collegia, sed solum Præpositus, & singulæ personæ societatis, quæ Collegia postea nominantur in participatione priuilegiorum; ex quo inferunt, cum igitur non ex natura rei, sed ex priuilegio sint mendicantia, sequitur quod per hāc communicationem non eximantur à decimis, quia nulla de decimis in illa Constitutione fit mentio, & tamen fieri deberet, quia saltem pro derogatione cap. nuper quod est conciliare, specifica ipsius mentio fieri debuisset.

Ad hæc tria capita reducuntur omnia exaduerso contra mendicitatem [illegible] respondetur.

Ad primum: ista propositio, Collegia societatis ex fundatione necessariò habet bona secũ adiũcta, itaut sine illis bonis ex vi Regulæ ac Constitutionibus Apostolicis fundari non possint, duplicem habet intellectionem. Primo quod illud ex denotat tempus. Secundo quod denotet naturam, Primo modo verissima est propositio. Secundo modo: nequaquam & ex ista distinctione ruit tota machina aduersariorum: in hac enim fallacia, & æquiuocatione consistit tota eorum argumentatio, & æquiuocatio, quia confundunt has duas intellectiones, & ex vnione temporis, faciunt illationem ad vnionem naturæ, & tamen sunt toto Cælo diuersa: vnde potest bene stare, quod eodem tempore Collegia habeant secum bona stabilia, itaut non possunt sine bonis fundari, & tamen bona non sint de eorum natura.

Habemus exemplum de vtroque matrimonio, tàm corporali, quàm spirituali, quia nec mulier sine dote matrimonio copulatur; cum intersit reipublicæ mulieres esse dotatas *l. 1. ff. solut. matr.* nec sanctimonialis sine dote profitetur, & nihilominus, sicut matrimonium, & professio regularis habet suam essentiam, naturam, & qualitatem propriam sine dote, ita pariformiter Collegia habent bona, tanquam propriam dotem ad sustentationem ex sui fundatione eodem tempore &c. sed nihilominus dos non est de eorum essentia, quia naturaliter Collegia intelliguntur sine dote, dos autem aduenit illis tanquam quid superueniens, & adiunctum.

Concedimus igitur quod Collegia ex eorum fundatione habeant bona, sed vti dotem, quo nomine propriè vtuntur Pontifices in eorum Constitutionibus, vt in Paulo III. & Iulio III. in præcedentibus diximus, sed non potest inferri, ergo ipsis hoc conuenit ex natura rei, quia in iure non est inconueniẽs, quod accessorium non sequatur naturam sui principalis, quando in eo diuersa militat ratio, vt benè DD. exaduerso scribentes ex Dyno, & alijs firmarunt, & an religio sit mendicans vel non, attenditur initium, ita tamen, vt si postea facultatem obtineat possidendi, non perdit per hoc priuilegia mendicitatis ab initio acquisita, vt etiam firmarunt ijdem DD. exaduerso scriben. per doctrinam Lapi & aliorum.

Sed replicant aduersarij, non potest dici quod Collegijs superueniat facultas obtinendi bona, quia ex fundatione eam habent, quibus eadem distinctione respondemus, quod hæc superuentio, licet non sit posterior tempore, est tamen posterior natura, & licet Collegia non sint prius tempore fundata in mendicitate, & postea concedantur illis bona, sunt tamen prius natura, & hæc prioritas est attendenda tanquam essentialis, & necessaria non prioritas tẽporis tanquam acciden-

Hac distinctione apparet clara, & plena intellectio Constitutionum Societatis, & Apostolicarum, necnon Suarez, & aliorum auctorum, quia, dum affirmant bona esse Collegijs necessaria, nec posse sine illis fundari, intelligunt de necessitate secundum quid nempe pro dote, ad sustentanda onera Scholarium, non autem de necessitate simpliciter, quia sine dote bene possunt esse Collegia, & de facto potest dari casus, quod sine dote reperiantur, & saltem ex dispositione omnes etiam Scholares debent esse parati ad mendicitatem, vt diximus, & infra magis declarabimus.

Vlterius dicimus Collegia posse habere bona sibi adiuncta absque præiudicio paupertatis, & mendicitatis. Primo, quidem in communi. Secundo autem etiam in particularibus religiosis; in communi quidem quia Collegia, seu Collegiales, nec dominium, nec bonorum habent administrationem, in quibus proprietas, & mendicitatis incompatibilitas adeo ab aduersarijs exagerata consistit. Non quidem dominium, quia hoc reperitur penes Ecclesiam vniuersalem, vt in simili de minoribus ex Nicolao III. Innocentio IV. & alijs rationibus dixit *Didacus de Cea in Thesauro Terræ Sanctæ lib. 1. cap. 8. § 6.* Nec etiam administratio, quia hæc tota in societate, & P. Generali consistit, vt ex Const. 9. par. 4. cap. 3. §. 5. apparet, & ex Iulio III. in præcedentibus probauimus, quod nec aduersarij inficiantur.

Imò tantum abest, quod habeât dominium, aut administrationem quod è contra, nec ius habent ad illa acquirenda, vel conseruanda iudicialiter, sed merè, se habent passiuè sub potestate Generalis, & propterea, vt in præteritis deduximus, nec collegialiter congregari possunt, nec agere, nec excipere, nec procuratores facere, sed omnimoda potestas in Generali residet, vt ex Constitutionibus part. 9. cap. 3. §. 1. 3. & 5. & ex Pio V. probauimus in præteritis, & declarauit *Rota in vna Corduben. Decimarum de Lucena coram R.P.D. Carrillo, & Cracouien. item decimarum coram Reuerendiss. Cerro, ac aliis decisionibus.*

Hoc vno capite Pater Cea vbi sup. lib. 2. cap 4. §. 2. vers. præterea nulla; approbat minoritas esse capaces legatorum perpetuorum, quia licet certa sint legata; nihilominus ad illa ciuilem nó habent actionem, & §. 6. ponit multa exempla de diuersis Conuẽtibus, cum certis eleemosynis ædificatis, & fundatis cum approbatione Summorum Pontificum, quibus consentiunt etiam Constitutiones Societatis, quoad eleemosynas perpetuas domibus, vel Ecclesijs applicatas par. 6. cap. 2. §. 6. quia nullum ius ciuile ad eas petendas in iudicio eis acquiritur, à simili nec Collegiis acquiritur ius ad bona sibi applicata, sed ius

Præposito Generali, ergo Collegia etiam cum talibus bonis in communi remanent mendicantia. Similiter etiam personæ particulare sunt mendicantes non obstan. prædictis bonis Collegio applicatis quia nec ipsæ habent dominium, aut administrationem, sed penden ex nutu superioris, qui ex obediētia potest illis indicere quandocunque, quod ostiatim mendicent, vt supra vidimus. vnde semper in hac præparatione animi existunt, vt DD. pro hac parte scribentes in præteritis firmarunt, & DD. exaduerso concorditer concedunt.

Ex quibus contra primam obiectionem aduersariorum stat firma nostra propositio, quod Collegia, Societatis, & eorum Scholares sunt verè, & non fictè ex natura rei, & proprietate inseparabili mendicantes, & mendicantia, licet ex post (intelligendo de ~~proprietate~~ naturæ) bona tanquam dos illis sint adiuncta in ipsa eorum fundatione ex necessitate secundum quid, non simpliciter, hoc est pro eorum sustentatione, & subuentione, quam ad nutum Generalis administratoris, tanquam eleemosynam recipiunt, & quorum dominium Ecclesiæ vniuersali, non ipsis acquiritur.

Nec obstat similitudo tutoris à Suarez allata, & exaduerso tantum celebrata, quia similitudo non se tenet in omnibus pernecesse, alias non esset similitudo, sed idem quod non potest esse per *glos. in cap. Capitulum verb. consimili de rescriptis*, sufficit igitur, quod similitudo verificetur in aliquo, vt in casu nostro verificatur, quia sicut pupillus nihil potest agere sine tutore, sic nec Collegium sine Generali, non tamen verificatur pupillus habet dominium, & non tutor, quia in casu nostro, nec pupillus, nec tutor dominium habent, sed vt diximus vniuersalis Ecclesia.

Ad secundam admissa similitudine corporis heterogenei, & quod in societate diuersa sint membra, & quod diuersa habeant officia actiones, & operationes, negatur ex hoc sequi diuersitatem naturæ, imò oppositum colligimus, omnia ~~licet~~ hæc membra, cum vnum efficiant corpus esse eiusdem prorsus naturæ, essentiæ, & proprietatis naturalis, sicut manus, pes, oculus &c. licet sint diuersa membra corporis humani, & diuersos habeant actus progrediendi, tangendi, videndi &c. nihilominus sunt vnus homo, & habent eandem naturam, & essentiam humanam vnicam indiuisibilem, & impartibilem, ita licet Collegia, domus probationis, & domus professæ diuersæ sint partes, ac membra societatis, & diuersos habeant actus, & officia, sunt tamen vna societas, vnum corpus, vna natura, vna substantia, vna essentia.

Sed inquiunt Collegia habent bona, domus autem professæ nequaquam, igitur patet ad sensum quod sunt diuersæ naturæ alias seque

retur, quod simul, & semel haberent crumęnam plenam, & vacuam, ingentes opes, & mendicitatem, quæ non se inuicem compatiuntur.

spondetur, quod in corpore humano oculus videt, auris audit, nec oculus audire potest, nec auris videre, non ideo tamen homo simul, & semel dicitur videns, & cæcus, licet habeat aures, non videntes, nec ipsæ aures dicuntur cæcæ, quia non sunt aptæ videre, sed eorum omnium operatio ad corpus refertur, & corpus dicitur videns licet solos oculos habeat videntes, sic societas cum habeat mendicitatem exactissimam in omnibus professis, in Collegijs autem permissionem, & concessionem bonorum, non ex hoc simul, & semel dicitur diues, & mendicans, sed ab habitu desumit denominationem, qui quidem habitus est de essentia ipsius societatis, sicut visio corporis, vnde etiamsi hunc habitum non haberent Collegia, non tamen societas dicitur illo priuata.

ed replicant; concedimus societatem habere talem habitum, sed non Collegia. Respondetur eadem declaratione, Collegium est membrum, & licet actu non habeat mendicitatem, nihilominus illius habitu non potest dici priuatus, quia vti membrum societatis in corpore, est verè mendicans, sicut auris licet non videat, non potest dici priuata visu, ac cæca quia in corpore humano videt, igitur, ex quo societas est mendicans, etiam Collegia pernecesse, vt membra societatis sunt mendicantia, & ex quo Pius V. declarauit societatem verè, & non fictè esse mendicantem per consequens etiam, & pernecesse declarauit Collegia esse mendicantia, alias membra non aptarentur corpori.

licet hæc similitudo à Suarez desumpta sit à D. Paulo in prima Epistola ad Corinth. in qua ad longum ponitur tota ista declaratio cap. nec clara littera Sacræ Scripturæ æquiuocationibus aduersariorum tergiuersari possit; nihilominus ad tollen. omnem scrupulum dicimus habere etiam bona in communi, & illa possidere, & illorum proprietatem habere se compati cum arctissima mendicitate, vt dicit *S. Antonin. in summa par.* 4. *tit.* 12. *cap.* 4. §. 13. ibi, sed habent in communi, *&* §. 14. *vers. secunda conclusio omnino viden.* & declarauit expresse Ioannes XXII. in extrauag. quia quorumdam de verbor. signific. vers. nec hoc scilicet &c. vbi quod Fratres Prædicatores, & Minores non præiudicant, altissimæ paupertati; licet bona possideāt n communi, iuxta illorum regulam, & Clemens Octauus declarauit armelitas Discalceatos esse verè Mendicantes licet eorum Collegia communi sint bonorum capacia, & Sacrum Concilium Tridenti-

num sess. 25. cap. 3. de Regular. concessit ipsis sine præiudicio paupertatis bona habere in communi, etiam si alias ex vi regulæ non possent. Igitur etiam Collegium Societatis non quidem ex sola concessione Concilij, sed ex vi regulæ à Sede Apostolica approbatæ sunt capacia bonorum, etiamsi eorum dominium; & administrationem habeterent (quod negatur ex dictis;) & hoc sine præiudicio mendicitatis, alias nec Carmelitæ, nec Minores, nec Prædicatores possent vocari Mendicantes, imò à fortiori Patres Prædicatores, Minores Conuentuales Augustiniani; & Carmelitæ bona habent in communi, & etiam dominium, possessionem, & administrationem, & Conuentus habent ius succedendi ex personis particularibus absque eo quod præiudicetur mendicitati, quia sufficit, quod Religio sit fundata in mendicitate, vt diximus, ergo magis hoc conuenit Collegijs Societatis, quæ nec dominium, nec possessionem habent, vt clarè disponitur in Constitutionibus par. 4. cap. 2. §. 5. ibi possessionem Collegiorum cum rebus temporalibus, quæ ad ipsam spectant capiet societas &c. nec administrationem, vt supra diximus; nec ipsa ex personis collegialium habeat ius succedendi, vt disponitur in Constitutionibus par. 6. cap. 2. §. 12. vbi dicitur, quo melius paupertatis puritas, & quies illa quam secum affert, conseruetur, non solum particulares professi, vel Coadiutores formati hæreditariæ successionis non erunt capaces, verum nec domus, nec Ecclesiæ, nec Collegia. Ecce quod paupertatis puritas pari passu ex natura rei, non solum domibus professis, sed etiam Collegijs, ex vi regulæ indicitur, cui non præiudicatur, licet ex post ex concessione bona illis adiungantur.

Ad tertium dicimus: argumentum aduersariorum de priuilegio expressam inuoluere æquiuocationem, aliud est enim dicere, quod societas & illius Collegia ex vi regulæ, & ex natura propria sint mendicantia, & ex priuilegio possint postea habere bona adiuncta, quod nos dicimus, & est verissimum; aliud quod Collegia ex vi regulæ, & ex natura propria possint habere bona, & ex priuilegio sint mendicantia, quod dicunt aduersarij, & non subsistit in facto, ex deductis, & sic cessant exempla Iurispatronatus, legitimati, & similium: quia semper in illis supponitur, quod ex natura rei non fuerit talia, Collegia autem societatis ante declarationem Pij Quinti, erant talia, vt ex illo verbo, ante, & illis, fuisse, fore, & esse supra demonstrauimus, & sic non habent mendicitatem ex priuilegio; sed bene habent quod sine præiudicio mendicitatis, ex priuilegio bona possunt habere adiuncta, quia ex natura rei habere non possunt.

Nec facit illa ponderatio aduersariorum quod in declaratione Pij Quin-

ti circa mendicitatem non nominentur Collegia; quæ solum nominantur in communicatione priuilegiorum, quia vt diximus cum Collegia de per se nihil sint nisi membra societatis, dum declaratur societatem esse mendicantem, in illo corpore veniunt etiam Collegia, vt diximus, præterquam quod cum Pius dicat Præpositum, & singulas personas societatis fuisse esse, & fore mendicantes, benè comprehendit Scholares, qui tria habentur vota simplicia, & ex quibus conflatur Collegium; non enim Collegium indicat parietes, sed Collegiales, ac per consequens ipsos Scholares, ac Rectorem, & alios Coadiutores, & Ministros Collegij, vt perpenderunt in præcedentibus DD. pro hac parte scribentes.

Nec facit quod Scholares, & Nouitij dicantur esse in via respectu professorum quatuor votorum, qui dicuntur esse in termino, quia siue in via, siue in termino, sunt verè personæ societatis, & verè Religiosi ex Bulla Gregorij XIII. ascendente Domino, & omnes personæ Societatis declarantur Mendicantes; vt diximus, hoc enim nihil aliud concluderet, quàm hos, & illos plus minusuè dici pauperes, vel mendicantes cum paupertas, & mendicitas suam habeat latitudinem, vt quælibet virtus, sed hoc non præiudicat essentiæ, & naturæ, ac substantiæ paupertatis, & mendicitatis, quæ cum indiuisibilis sit, reperitur in omnibus, & etiam in minimo saluatur, & in hunc sensum loquitur Suarez, & alij auctores exaduerso allegati, dum distingunt paupertatem, & mendicitatem Scholarium, aut Nouitiorum à paupertate, & mendicitate professorum, nempe quod in professis existentibus in domibus professorum eminentior elucet paupertas, cum non habeant certam eleemosynam ipsis applicatam, quàm in Collegijs Scholarium, & in domibus probationum Nouitiorum, in quibus non tam sublimis elucet paupertas, & mendicitas, cum habeant bona annexa pro eorum sustentatione, sed nihilominus, & ipsi sunt pauperes, & mendicantes ex præparatione animi, & ex eo quod nec dominium, nec possessionem, nec administrationem habent, cum à nutu Præpositi Generalis dependeant, vt diximus, & ex eo quod licet etiam in communi dominium, & possessionem haberent, hoc non præiudicaret altissimæ paupertati in qua fundata est societas, vt ex exemplo aliorum Mendicantium fuit firmatum, & ex eo tandem, quod ex vi regulæ puritas paupertatis, non solum domibus professis, d etiam Collegijs indicitur, vt supra demonstrauimus.

d quod tantum exagerant DD. exaduerso scribentes de immensi-e diuitiarum Collegiorum Societatis, attento numero, & qualita-personarum, responderi potest faciliter, quia ad mensuram reddi-

tuum applicatorum in Collegijs introducuntur, & ſuſtentantur Scholares: vnde vbi multæ ſunt opes, multi, & qui comedunt eas, & non eſt alligandum os boui trituranti, ſi pro ſocietate, & pro iuuentute inſtruenda, ac pro Sancta Eccleſia vniuerſali tot laborant operatores proculdubio æquum eſt illis ſubueniri, vbi enim pauci ſunt Scholares, non multæ applicantur opes: vnde ſemper in Collegijs Societatis ſeruatur religioſa parcitas; & hæc quoad redditus, ſimiliter quoad ædificium, & ſtructuram corporalem, ſi habeatur conſideratio, ad ea quæ pro exercitijs collegialibus neceſſaria ſunt, & ad perſonas ibi degentes apparebit, quod nihil ſuperfluum reperitur; ampliora enim ædificia habent Sæculares Vniuerſitates, & ampliores habitationes habent multæ perſonæ, quæ nec ſanguine, nec profeſſione collegiales excedunt, & ipſi nihilominus pro perſonis ſuis particularibus vulgari menſa, & vnico contenti ſunt cubiculo, quæ curſim dicta ſufficiãt, cum non faciant ad huius cauſæ propoſitum, attento quod in Ciuitate, & Diœceſi Hiſpalen. ſunt ~~tamen~~ tantum decem Collegia, non autem decem octo, vt exaduerſo ſupponitur, & inter hos ſex de eleemoſynis viuunt, vt ſi opus eſſet cum iuramento etiam Patres deponere poſſent.

Cæterum de præſeruatione conſuetudinis in Breue Leonis XI. in præteritis ex ipſo toto tenore Breuis, & declaratione Rotæ in illa Carthaginen., & alijs rationibus ibi adductis ſatis conſtare credimus, quibus hoc vnum ſolum adijcimus, quod authores etiam externi hoc intellexerunt, & exempli gratia adducitur B*arboſa de iure Eccleſiaſt. vniuerſ. lib.* 1. *cap.* 41 *num.* 195. *verſ. ſic.* à ſolutione, qui hæc ait: à ſolutione & præſtatione decimarum, & aliorum onerum quorumcumque eximit Societatem IESV, Greg. XIII. conſtit. 51. incipien. Paſtoralis 1. Ianuarj 1578. ſed Leo XI. pro Regnis Hiſpaniæ modificauit conceſſionem huiuſmodi circa decimas prout de iure, & licet Gregorius XV. reduxerit illam ad terminos Conſtitutionis Gregorij XIII. tamen Vrbanus VIII. Conſtitutione Leonis XI. ſeruari voluit, niſi quatenus de iure, vel conſuetudine exempti reperiuntur.

Quare &c.

Ioannes Naldus &c.



De Decimis

R. P. D.

CORRADO

Hiſpaleñ Decimarum.

PRO

Veñ Collegijs Societatis IESV.

CONTRA

Capitula.

4

Facti

D. Naldi.

ROMAE,
Ex Typographia Reu. Cam. Apoſtolicæ. 1646.

Superiorum permiſſu.